

dicit S. Thomas 2-2, quæst. xxviii, art. 1 ad tertium. Cum ergo fuga malide se non habeat motivum constitutum habitus, nisi ratione prosecutionis boni adsequitur, inde est, quod timor secundum rationem fugæ potest esse actus secundarius diversorum habituum secundum quod consequitur ad diversa motiva. Et sic est a charitate, secundum quod timet peccatum, ut est malum oppositum amicitiae Dei: et consequens ad donum timoris, secundum quod est malum oppositum divinæ reverentiæ, qua timetur potestas Dei, licet hoc totum originative, et imperative oriatur a charitate, et ratione hujus dicitur timor filialis virtute includi in motu amoris, licet mediante distincto habitu, ut expressit S. Thomas hic quæst. xix, art. ix ad tertium.

XII. Ad secundam difficultatem respondetur, quod D. Thomas in illo loco citato ad Annibaldum, non dixit, quod timor servilis elicitive est ab habitu doni timoris, sed dixit: « Quod est unus habitus secundum substantiam, » quod debet intelligi, vel secundum substantiam genericam, non specificam; vel quod est unus imperative, et coordinative, non simpliciter. Donum enim timoris format, et imperat timorem servilem exclusa imperfectione servilitatis, et hoc convincitur ex verbis immediatis. Dicit enim: « Quod est unus habitus secundum substantiam, sed unus perfectus scilicet filialis, alter imperfectus scilicet servilis. » Supponit ergo duos habitus esse, et ita eodem loco articulo secundo sequenti dicit: « Quod adveniente charitate non tollitur substantiam habitus timoris, sed formatur cum prius esset informis. » Manet ergo sine charitate ille habitus, et consequenter non est aliquid ex septem donis Spiritus sancti, ut etiam expresse dicitur in hac quæstione

xix, art. ix, quia dona non manent sine charitate; est tamen ille timor a Spiritu sancto, sicut etiam fides, et spes, et hac ratione vocatur aliquando donum largo modo ut in quæstione xiv de veritate, art. vii ad secundum.

XIII. Ad tertium respondetur, illam solutionem a nonnullis assignari, quæ tamen mihi nunquam satisfacere potuit ob replicam factam; et ideo facilius videtur mihi dicendum, quod quando D. Thomas dicit, quod timor principaliter respicit malum quod refugit, intelligitur, quod principaliter respicit malum in sua causa, et ideo refugit resiliendo in propriam parvitatem, non directe fugiendo malum in se, sed reverendo causam mali, unde solum in connotato, et in obliquo respicit malum; per actum autem secundarium, qui est directe, et proprie fuga, respicit directe illud malum in se, quod per priorem actum respiciebat in connotato; et hoc sufficit ut timor non sit virtus theologica, etiam ratione actus primarii, eo quod virtus ita respicit bonum in conceptu, et linea bonitatis, quod nullo modo resilit ab illo, sed pure prosequitur illud; donum autem timoris etiam in suo actu primario ita respicit bonum, quod respicit illud, ut causa, et potestas mali, et sic non pure prosequitur illud bonum, sed resilit ab illo.

XIV. Si autem inquiras, utrum donum timoris hac solum ratione differat a virtutibus theologis, quia respiciendo immediate Deum, non pure respicit in ratione boni prosequuti, sed reveriti, respondetur quod etiam differt a virtutibus theologis ex parte materiæ proximæ, circa quam versatur, quæ est aliquid creatum, scilicet subjectionem sui ad Deum, per modum reverentiæ: cum enim dona Spiritus sancti ad hoc dentur, ut reddant hominem be-

ne mobilem ab ipso Spiritu sancto, impossibile est quod materia proxima eorum sit ipse Deus, sed aliquid mobile a Deo, specialiter in dono timoris redditur ipse homo mobilis parvificando se in conspectu tantæ majestatis. Quod D. Thomas explicat hic quæst. xix, art. x ad tertium, dum inquit: « Quod timor filialis non importat separationem a Deo; sed magis subjectionem ad ipsum; sed separationem quodammodo importat, per hoc quod non præsumit se ei adæquare, sed ei se subjicit. » Ecce quomodo materia proxima actus reverentialis est subjectio sui ad Deum facta per modum separationis, non præsumens se adæquare Deo, sed parvi facientis se in conspectu ejus. Et in hoc distinguitur a religione, quæ etiam subjicit se Deo per cultum, nam religio per modum observantiæ facit hanc subjectionem dum se, et bona sua exhibet Deo in recognitionem primi principii, quasi tributum illi deferens ut supremo Domino. Timor autem non facit subjectionem sub motivo observantiæ, ut quasi cultus, et tributi oblatus Deo, sed ex consideratione majestatis divinæ, ut terribilis, subjicit se illi parvi faciendo se, et quasi nihil reputando in comparatione majestatis, unde procedit opposita ratione quam religio, quia hæc offerendo cultum, timor evacuando propriam magnificationem.

XV. Dico ultimo: Actus paupertatis spiritus, et actus beatitudinis luctus sunt secundarii in dono timoris, pertinentque ad voluntatem, licet effectus suos habeant in appetitu irascibili, ut a voluntate moventur. Hæc conclusio elicatur ex D. Thoma hic quæst. xix, art. xii in corpore, et ad secundum: et infra quæst. cxli, art. 1 ad tertium. Pro cujus explicatione est supponendum, quod donum timoris licet habeat tam amplam, diffusam ex-

tensionem sicut explicavimus, est tamen infimum inter omnia dona Spiritus sancti, ut ex Augustino docet D. Thomas 1-2, quæst. lxxviii, art. vii ad primum, et 2-2, quæst. cxxi, art. ii. Cujus ratio est, quia timor est quasi primordium quoddam inter dona Spiritus sancti, quia: *Initium sapientiæ est timor Domini*, et de se parat viam ad timorem, in quo est vinculum perfectionis; quare timor habet se quasi dispositio in ratione motionis Spiritus sancti, quatenus disponit cor purgando, et evellendo quæcumque impedimenta ad conjunctionem cum Spiritu sancto, et in ratione tollendi impedimenta habet quamdam universalitatem super omnem materiam actuum humanorum, non quasi perficiendo, sed quasi disponendo, et vocatur hic actus paupertas spiritus, quia evacuat, et quasi depauperat spiritum ab omni eo, quod putabatur magnificentum, sive in se ipso, sive in exterioribus bonis, ut inquit D. Thomas hic quæst. xix, art. xii, eo quod est quasi spiritus, et impulsus quidam descendens a consideratione summæ majestatis ut terribilis, in cujus comparatione omnia sunt quasi nihil juxta illud Isai. xl: *Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihilum, et inane reputatae sunt ei*. Unde ex tali impulsu, et instinctu Spiritus sancti omne quod in oculis hominum videtur magnum, sive in se, sive extra se, manet quasi nihil, et sic dicitur depauperari spiritus, ita ut: *Non apponat ultra homo magnificare se super terram*, Psalm. x. Hæc autem est maxima dispositio ut spiritus sic evacuatus ab omni magnitudine creata solum tendat ad magnitudinem divinam.

XVI. Similiter pertinet ad timorem alienare voluntatem ab omni delectatione creaturæ; tum ex magnitudine divinæ majestatis; tum ex

parvitate omnis creaturæ, quæ delectationem causare potest. Ex magnitudine quidem divinæ majestatis, quatenus specialiter est destructiva omnis celsitudinis, et pulchritudinis creatæ, unde delectatio nociva causari potest juxta illud Isai. II: *Dies Domini super omnem excelsum, et superbum, et super omnes cedros Libani sublimes, et erectas, et super omnes naves Tharsis, et super omne quod visu pulchrum est:* et Thren. II: *Firmavit dexteram suam quasi hostia, et occidit omne quod pulchrum erat visu.* Omnem ergo externam pulchritudinem, ad quam pertinet concupiscentia oculorum, divina terribilitas dissolvit. Ex parvitate autem creaturæ consideratur tamquam insipidum omne quod perit, et transit, quia ut dicitur Sapient. III: *Et tamquam lanugo, quæ a vento tollitur, et tamquam spuma gracilis, quæ a procella dispergitur, et tamquam fumus qui a vente diffusus est.* Ex quo fit quod talis consideratio creaturarum in ordine ad magnitudinem divinam, potius provocat ad luctum, quam ad lætitiã: præsertim eum in fine tantam relinquat amaritudinem, juxta illud Job XX: *Cum dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua; panis ejus in utero illius vertetur ut fel aspidum intrinsecus, caput aspidum fuget, et occidet eum lingua viperæ,* quæ amaritudo maxime cognoscitur in ipso puncto separationis animæ, juxta quod ibidem subditur: *Eductus, et egrediens de vagina sua (id est, anima a corpore) et fulgurans in amaritudine sua vadent, et venient super eum horribiles: omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus, devoravit eum ignis qui non succenditur.* Hæc ergo est ratio quare iste actus, qui ita respicit delectabilia sensus vocatur beatitudo luctus, quia considerat creaturas ut avertentes a Deo, et causantes ama-

ritudinem, quæ est digna luctu, ideoque talis actus correspondet duplici dono, scilicet dono scientiæ tamquam dirigenti, ut dicit D. Thomas supra quæst. IX, art. IV, et dono timoris tamquam exequenti, ut dicit hic articulo XII ad secundum.

XVII. Quod vero sint actus secundarii paupertas spiritus, et beatitudo luctus in dono timoris docet D. Thomas loco citato, quia ex hoc quod aliquis perfecte timet Deum, consequens est quod non quærat magnificari in se ipso; est ergo iste actus consequens alium priorem actum, quo reveremur ipsam divinam majestatem; inde enim accipitur motum ad reprimendum passiones illas magnificationis, et jactantiæ, et impletur illud Psal. XCVI: *Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini,* eo quod prius timetur eminentia majestatis, deinde altitudo creata dissolvitur. Sed tamen inter hos actus secundarios directius pertinet ad timorem paupertas spiritus, quam beatitudo luctus, eo quod (ut inquit D. Thomas) delectatio non ita habet rationem ardui, sicut magnificatio: ad timorem autem directius pertinet destruere arduum, et humiliare illud, et parvificare, eo quod procedit a comparatione divinæ majestatis, respectu cujus omnia sunt parva. Quod vero sint actus voluntatis patet; tum, quia dona Spiritus sancti non sunt in appetitu sensitivo, sed in rationali, quia immediate rationalis mens movetur a Spiritu sancto, licet mediate moveat inferiorem appetitum; tum, quia excellentia, et magnificatio propria magis radicatur in parte rationali, quæ est superioris naturæ, et ideo difficilior vincitur, et obscurius perpenditur, cum existiment se magnos in spiritualibus, et secundum voluntatem propriam exinanitum, et depauperatum, sed tumidum habeant, et

ideo magis resistantem divinæ motioni in occulto.

XVIII. Ex dictis denique colligitur, quomodo timor maneat in beatis fuerit in Christo; nam quoad illos duos actus, scilicet revereri, et fugere malum imminens, hic secundus non potest in illis reperiri efficaciter, quia nullum malum eis imminet ratione status, et in Christo etiam ratione personæ quoad malum culpæ; ineffaciter tamen, et quasi sub conditione si essent in statu capaci, non repugnat haberi hunc actum. Primum autem actum, scilicet revereri Deum perfectissime habent, quatenus considerant divinam potestatem ut inflictivam mali, quod absolute possibile est, nam etiam Christo ex parte naturæ assumptæ possibilis est annihilatio, sicut possibilis fuit mors quam de facto timuit, et ad illum timorem reverentialem non magis confert possibilitas, et imminetia mali, sed appetitatio potestatis inflictivæ illius, et hæc appetitatio crescit in Christo et in beatis licet possibilitas mali decescat, ut optime vidit Cajetanus hic quæst. XIX, art. X, ostendens quomodo timor filialis crescat crescente charitate, quia crescit appetitatio Dei, licet malum reddatur minus possibile quanto magis est in charitate.

DISPUTATIO VII.

DE DESPERATIONE.

ARTICULUS UNICUS.

Utrum facta alicui revelatione absoluta de sua condemnatione possit, et teneatur sperare?

I. In admittendo casum hærent aliqui existimantes non posse alicui revelari suam damnationem absolute. Et pro hac parte citari solet D. Bonaventura in I, dist. XLVIII, dubio circa litteram Antisiodorensis, Alensis, etc. et alii quos citat pater Suarez disp. II de spe, sect. II, n. VI. Ratio est, quia Deus non potest cogere ad desperationem; tunc autem posito illo casu cogere homo desperare, quia æque impossibilis repræsentatur sibi beatitudo, facta illa revelatione, quam executa damnatione; executa autem damnatione cogitur homo desperare. Item, quia sequuntur expositione hujus casus manifestæ implicationes. Nam teneretur homo conformari voluntati divinæ, quia absolute est sibi cognita; et ex alia parte non teneretur conformari, quia si conformaretur vellet suam damnationem, quod nullo modo licet. Similiter teneretur adhuc sperare, quia teneretur bene operari, et non peccare, atque adeo sperare debet auxilium divinum; sine quo bene operari non potest: et ex alia parte non teneretur sperare, quia est redditum sibi impossibile primum objectum spei, quod est assecutio beatitudinis; communiter manet destructa spes theologica. Et præsertim urget ille casus: Si Deus re-